



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. xxii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Igitur Theodorus iudicauit eum qui incestum fecerit XII. annos pœnitere debere: alij XV. alij X. alij septem. Sed nos priscorum patrum vestigia sequentes, his solis spatium pœnitentiæ temperemus, qui deuotè, & cum lachrymis pœnitentiam egerint: ceteri definitum tempus obseruent.

De eadem re. Caput XXII.

Siquis filiastrum aut filiastram suam ante episcopum ad confirmationem tenverit, separetur ab vxore sua, & aliam nunquam accipiat. Similiter & mulier.

Ex cœcil. apud Vermeriam, cap. 4.

De illis qui infantes suos ideo à baptismo suscipiunt, vt separentur à coniugibus. Cap. XXIII.

Dictum etiam nobis est, quasdam fœminas desidiose quasdam verò fraudulenter, vt à viris suis separentur, proprios filios coram episcopis ad confirmandū tenuisse. Vnde nos dignum duximus, vt si qua mulier filium suum desidia, aut fraude aliqua coram episcopo tenuerit ad confirmandum propter fallaciam suam, aut propter fraudem, quandiu viuat pœnitentiam agat, à viro tamen suo non separetur.

Ex concil. Cabillon. cap. 4.

De eadem re. Cap. XXIII.

Deo quod interrogastis, si ille qui filiolum suam ducit vxorem, & de eo qui concubuit cum commatre sua spiritali, & de illo qui filium suum baptizauit, & cuius vxor eum de fonte suscepit, ea ratione, vt discidium coniugij fieret, si postea in tali copulatione permanere possent de talibus sic respondendum est. Si filiolum, aut commatrem suam spiritalem aliquis in coniugium duxerit, separandos eos esse iudicauimus, & graui pœnitentia plectendos. Si autem cōiuges legitimi vnus aut ambo ex industria fecerint, vt filium suum de fonte suscipiant, vt discidium fiat, tale consilium damus. Si innupti manere voluerint, bonum est. Sin autem, grauis pœnitentia insidiatori iniungatur, & simul maneat, & si superuixerit præuaricator coniugi, acerrima pœnitentia multetur, & sine spe coniugij maneat.

Ex cœcil. Moguti. in claustro S. Albani habito, præsen- te Ludouico imperato. cap. 10.